



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

SS. Glyceria & Laodicius MM. 10. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

10. Maii. VITÆ SANCTORUM. 299  
reticis in necem suam subornato, facilis  
veniam edidit: post tamen gravibus ite-  
rum seditionum fluctibus agitato, mis-  
sa urbe ac infula, in villula patria mala-  
ciam, in morte denique anno CCC.  
LXXXIX. portum reperit. Ex Greg.  
Presb. apud Syr.

*Cordis contritio optimum est ad percipien-  
dam munditiam medicamentum. Mox ut  
germinare inchoaverint fœda cogitationes,  
compunctionis gladio interimat ipsas, qui  
cordis sui Christum cupit habere possesso-  
rem. S. Laur. l. de cast. Connub. c. 13.*

SS. GLYCERIA & LAODICIUS MM.

10. Maii.

**G**LYCERIA Macarii III. Consulis F.  
sexus sui miraculum, utriusque ex-  
emplum, Antonini imperio Trajanopo-  
li & Heracleæ triumphavit. Lampodo-  
phoria celebrantibus impiis, ipsa fron-  
tem cruce insignita in publicum prodiit,  
negavitque alia lampade sibi opus esse,  
cum crucis radios nec ipse quidem Ju-  
piter marmoreis oculis laturus sit. Fe-  
cit dictis fidem comminuta extemplo  
statua, neque ad vindicandam injuriam  
satis potens, cum frustillatim in GLY-  
CERIA M jactaretur, trepidantibus frag-  
mentis munitam cruce Heroidem con-  
tingere. Ferocior tamen Jove suo Sa-  
binus præses fuit; & è coma pendu-  
lam



300 VITÆ SANCTORUM. 10. Maii.  
lam lancerari unguis iussit, temperante  
cruciatu Angelo, & sua in carnifices  
tormenta regerente: qui deinde etiam  
in carcerem abreptæ compedes dempsit,  
mensam epulis instruxit, fornacis incen-  
dium extinxit, detractam capiti cutem  
restituit: quam cum LAODICIUS car-  
ceris custos iterum tribunali sistendam  
non agnosceret, eiusque fugam luere ferro  
pararet, revocatum à scelere GLYCERIA  
Christo asseruit, sponte deinde ma-  
nus pedesque iis vinculis astringentem,  
quæ virgo tulerat. Et ille quidem securi  
addictus ad cælum per compendium ab-  
iit. GLYCERIA, Diis hominibusque vi-  
ctis, etiam belluas triumphavit. Stetit  
inter leones agna, neque exhorruit con-  
tubernium. Ipsis adeo feris tradidit mo-  
res suos, & genuinam rabiem circuravit;  
vix cum voce de cælo lapsâ excedere cir-  
co victrix juberetur, moriunculam à le-  
onâ impetravit, quæ animæ viam faceret.  
E corpore oleum fluxit, ne athleticis pro  
innocentiâ pugnaturis ceroma deesset.

*Ex Surio.*

*Spiritus subjedam carnem discipline  
freno coërceat, & ad supernam Hierusalem  
quotidie ferventis desiderii gradibus festi-  
net. Promissa castitati præmia incessanter  
aspiciat, quorum dulcedine provocatus;  
quidquid versutiâ callidi insidiatoris oppo-  
nitur, libero fidei pede transcendat. S. Pet.  
Dam. ep. 7. c. 24.*

S. GAN-